



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis  
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros  
partitum**

**Laymann, Paul**

**Moguntiae**

3. Ob quam causam suspensio ferri potest.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40716**

stulet, vt Clericum ab officio suspensum non inducam, V. C. ad celebrandum, quando is sine peccato celebrare non potest. Sin verò iusta causa adsit à suspensio non denunciato sacrificium petendi, tunc licitè parere potest.

## C A P. II.

*Quis possit censuram inferre.*

<sup>1</sup> **Q**ui possunt excommunicare, possunt etiam suspendere; ac vice versa.

<sup>2</sup> Omnes Clerici possunt suspendi præter Papam, Et Episcopos ob dignitatem ex speciali priuilegio, etiam electos & necdum confirmatos & Cardinales. Nam priuilegia à principe concessa, si nemini sint præiudicantia, amplè interpretari conuenit.

<sup>3</sup> Non tantum singulae personæ, sed etiam communitas (capitulum) suspensione ligari potest, idque dupliciter, collectiuè & distributiue singulos comprehendens, qui duo modi interdum coniunguntur.

NB. Suspendio lata in Capitulum, si nihil aliud exprimitur, neque ex adiunctis colligatur, extendi non debet ad personas particulares, quia vox Capituli Collectionem significat, non personas singulas.

## C A P. III.

*Ob quam Causam suspensio fieri possit.*

<sup>1</sup> **C**ensura suspensionis non incurritur sine propria culpa. Ratio, quia suspensio est pœna

Plerunque requirit Culpam mortalem, quia pœna debet esse commensurata culpæ: suspensiones autem sunt pœnæ graues. Interim etiam ob leuem culpam



culpam leuis suspensio imponitur, putà à curandis distributionibus.

Suspensio interdum fertur ob culpam merè præteritam, variè: 1. In perpetuum & habet vim depositionis, 2. Ad tres annos, quibus finitis, expirat suspensio 3. Donec Reus satisfecerit, præstata satisfactione expirat censura. 4. Ad bene placitum superioris, mortuo tamen superiore cessat, non sunt tamen hæ proprie dictæ censuræ, vnde nec per absolutiorem tolluntur, sed varijs modis. Alia igitur est proprie censura, quæ iudicis Admonitionem & Contumaciam rei requirit; & illa deposita contumacia, indiget absolute.

## C A P. IV.

*Quibus modis suspensio tollitur.*

Suspensio lata ad certum tempus, eo elapso, per se cessat.

Suspensio, quæ proprie Censura est, ob contumaciam lata, absolute indiget.

NB. Parochi communi iure à suspensionibus absoluere non possunt.

Suspensio, quæ propter peccatum præteritum, ut purapœna imposita est vel in perpetuum, vel ad certum tempus, si relaxanda sit, remedio dispensationis indiget, quam inferior Prælatus iure proprio facere non potest. Ratio, quia sicut legem superioris, ita & annexam ei pœnam inferior soluere non potest.

Qui tamen priuilegium vel generalem commisionem habent absoluendi à suspensionibus, etiam eas tollere possunt.

NB. Iure nouo Trident. Omnes Episcopi possunt absol-